

DISCUSSIO CALUMNIARUM

se posse arbitrabatur ; quod Theologicis illis compendiis, memoriae quæ, Theologiæ quondam studens mandaverat, expressè improbata fortè non vidisset. Heidelbergensis autem ager academicus, recipiendæ huic Zizaniæ aptissimus videbatur, postquam Patroni sui commendatione , Juris Naturæ Professor , novo exemplo factus fuerat. Detestabantur tamen & hic , meliora docti præcepta ipsius ; maximè cum Principem adolescentem , cui informando adhibitus unâ fuerat , imbui iisdem viderent. Errorum itaque suorum causa hîc maximè invisus , novam sibi in nova Lundini Scandorum Academia sedem , Fratre tunc Parisiis ipsi per literas operam suam commodante , quærebat , inveniebatque ; Luthe ranam quod inter Calvinistas Religionem professus adhuc fuerat. Hîc autem profanas hominis , Tractatuq; de Jure Nat: & Gent: editas opiniones , cùm Vener. pl. Vitricus meus Dn. Josua Schvartz S. S. Theologiæ Doctor atque Professor ibidem , Dn. Winstrupio , Episcopo & Academiæ Procancellario p. m. suffragante , Indice quodam suo notasset ; iste mox ea , quæ sacrâ literis librisq; illis symbolicis , quorum in verba juraverat , præcepta meminisset ; suaque ab his abeuntia dogmata conciliare inter se instituit. Quod quamlibet inepta verborum suorum Interpretatione conaretur ; de multis etiam per causam Philosophiæ , in contradictione contumaciter ac arroganter persisteret ; haud reputans Philosophica hæc sua , verbò Dei , unam in partem ita esse definita , ut in alteram definiri non possint ; viri tamen nomine de calunia apud Serenissimum Sueciæ Regem indignissimè delato , hoc effecit , ut silentium ipsi , ne contra se quid amplius ageret , injungeretur. Hâc tamen adhibitâ cau-

tione,